



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

5 Vtrum de ratione creationis sit nouitas essendi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)



SECTIO VI.

Utrum de ratione creationis sit nouitas essendi.



Ergo nouitate mundi duplex est consideratio, una quoad substantiam eius, altera quoad motum. Hæc posterior est propriè Physica, & ideo prætermittenda est in hac scientia, quanquam non poterimus illam, non attingere inferius demonstrando Deum esse, & non posse dari processum in infinitum in causis efficientibus, tam per se, quam per accidens subordinatis. Prior vero consideratio est propriè Metaphysica, nam pertinet ad causalitatem entium quatenus entia sunt: estque necessaria ad declarandam rationem creationis, & ideo in hunc locum optimè cadit.

Argumenta ad partem affirmatiuam questionis.

**D**iximus enim creationem esse productionem ex nihilo: ergo necesse est, ut res, quæ creatur, prius fuerit nihil: ergo de ratione creationis est, ut ante illam præcedat, non esse simpliciter, & omnino eius rei, quæ creatur: ergo de ratione creationis est nouitas essendi. Patet hæc vltima consequentia, quia omne id, quod habet esse post non esse, habuit aliquando initium essendi, & hoc est habere nouitatem essendi. Secundò, quia de ratione creationis est, ut à cōseruatione distinguatur, saltem ratione & denominatione, iuxta ea, quæ tractanda sunt disp. sequenti: sed nō in alio distinguitur, nisi quia creatio dicit nouitatem essendi, quam non dicit cōseruatio: ideo enim Angelus, qui nunc cōseruatur à Deo eadem actione, qua creatus fuit, non creatur nunc, quia in præsentī nunc non habet nouitatem essendi, ergo. Maior patet, quia si in aliquo effectu non distingueretur creatio à cōseruatione, talis effectus nunquam esset creatus, sed cōseruatus semper, quod planè videtur inuoluere repugnantiam. Quomodo enim cōseruabitur, quod factum seu creatum non est? Tertiò, de ratione creaturæ est, ut non sit æterna: ergo de ratione creationis est, ut non sit æterna: ergo de ratione creationis est nouitas essendi. Consequentia sunt claræ: antecedens vero potest primò Theologicè probari, quia sancti Patres colligunt Verbum esse verum Deum, quia ab æterno productum est. Et inde putant sufficēter probari illam productionem, non esse creationem, quia æterna est: ergo supponit repugnare creationi æternitatem. Consequentia est clara, & antecedēs probatur ex Athanas. orat. 2. con. Arian. & Nazian. orat. 32. cum Scholio Nicet. num. 58. Basil. lib. 4. cont. Eunom. §. Quod Filius non sit creatura, & Cyrill. Alexand. Dialog. 4. de Trinit. Damasc. lib. 1. de fide, c. 8. & 9. Ambros. lib. 1. Hexam. c. 3. & aliis, quos infra referemus. Secundò probatur idem antecedens ratione Philosophica, quia, quod æternū est, est immutabile: repugnat autem creaturæ immutabilitas. Antecedens patet, quia, quod est æternum, necesse est ita infinita duratione permanere, sicut ex æternitate fuit, aliàs esset aliquid æternum finita tantum duratione permanens, quæ est manifesta implicatio contradictionis. Quod autē ex necessitate permanet eodem modo, & in eadem dispositione per infinitam durationem, immutabile est. Vnde confirmatur, nā si creatura esset æterna, cogeretur Deus infinito tempore, vel duratione eam cōseruare. Et eadem ratione ac necessitate eam semper perpetuò cōseruaret, quia non est maior ratio de vna duratione, quam de alia.

Contrarie opiniones referuntur.

**P**ropter hæc & similia argumenta, aliqui Theologi asseruerunt, de ratione creationis esse, quod per

est modus & dependentia, cum ostensum sit esse quid separabile ab ipsa: & in hoc se su procedit totum illud argumentum, quod proinde nihil concludit. Alio ergo modo intelligendum est creaturam esse ens essentialiter pendens à Deo, quia nimirū est ens talis naturæ & essentia, ut sine aliqua dependentia à Deo existere non possit. Et hic sensus est verissimus, probaturque optimè ex natura entis participati. Inde vero non fit, actualement ipsam dependentiam esse de essentia, sed solum cōditionem seu imperfectionem illam, ob quam talis natura eget dependentia, esse essentialē. Quod patet, quia licet sit de essentia creaturæ, ut pendeat à Deo, non tamen ut pendeat à solo Deo, aut (quod idem est) ut pendeat per dependentiam dicentem habitudinem ad solum Deum, quam uis etiam possit per talem dependentiam sufficienter pendere: ergo non determinat sibi essentialiter certam dependentiam, sed solum conditionem, aut indigentiam dependentiæ.

**A**tque hinc constat primò, falsum esse primum illatum illius sententiæ, nam res, quæ propriè creatur, non determinat sibi aliquam determinatam dependentiam omnino immutabilem ac inseparabilem, ut probauimus. Secundò constat, falsum etiam esse secundum & tertium illatum illius opinionis, quia etiam dependentia à solo Deo non est essentialis, aut prorsus immutabilis in omni re creata. Aliàs res omnes, & formæ, & accidentia penderent à Deo nunc & semper per aliquam dependentiam essentialē ac immutabilem respicientem solum Deum: quia ex se aptæ sunt sic dependere, & hoc satis esse posset ad earum existentiam, ac denique, quia sunt veræ creaturæ producibiles ex nihilo. Ex quo vltierus sequitur primò, in omni formarum productione adm sceri veram creationem cōtra ea, quæ suprà probata sunt, & quæ docet D. Thom. prima parte, quæst. 45. artic. 8. Sequitur secundò agentia creata, vel nihil agere, vel actum agere: vel saltem non attingere efficiendo ipsas formas, vel substantiales, vel accidentales. sed ad summum modos vel vniones earum: solumque Deum creare omnes formas. Vnde vltierus sequitur tertio, nullam esse naturalem rationem, ob quam potius aliæ formæ desinant esse per separationem à subiecto, quam anima rationalis: quæ omnia sunt contra veram Philosophiam, & sanam doctrinam, velati tractauimus in 3. Tom. 3. part. disp. 9. sect. 1. versus finem.

**E**t ex his & ibi dictis satis constat falsum etiam esse quartum illatum illius sententiæ: nam illa ratio, quæ ex dependentia essentiali & immutabili infert, non posse dari instrumentum creationis, nititur falso fundamento: imò apertè petit principium, nam supponit de ratione creationis esse, ut sit dependentia à solo Deo, quod probandum erat. Adde, quod auctores illius opinionis coguntur ponere in rebus generabilibus simul duas dependentias, vnā essentialē à solo Deo, & aliam quasi accidentalem (connaturalē tamen) à causis creatis: ergo licet res ingenerabiles habeant essentialē dependentiam à Deo, & non habeant connaturalem ab agente creato: nihilominus posset Deus supernaturaliter facere, ut fierent ab agente creato per dependentiam quasi accidentariam & præternaturalem. Sic enim gratia, licet habeat dictam dependentiam essentialē, iuxta illam sententiam, & non habeat aliam dependentiam connaturalem, nihilominus fit supernaturaliter per sacramēta: ergo ita dici posset de angelo quantum est ex vi illius rationis: illa autem secunda dependentia esset vera creatio, quæ esset actio, nisi dicatur talis angelus fieri ex se ipso, quod improbabile est: illa ergo ratio multis modis est inefficax, falsumque habet fundamentum.



per eam communicetur esse post non esse, ita ut reali successione seu duratione esse sequatur post non esse. Ita sentit Albertus Magnus in 2. d. 1. artic. 6. & 10. & 8. Physic. 1. Bonavent. in 2. dist. 1. ar. 1. q. 1. Richard. ibid. art. 3. q. 4. Marfilibi, q. 1. artic. 2. Henric. quolib. 1. q. 7. & quodlib. 9. q. 17. Qui omnes ex hoc fundamento docent impossibile fuisse res etiam substantiales & incorruptibiles creatas esse ab æterno: idemq. sentierunt nonnulli Philosophi, ut Philoponus in libro, quo responder ad argumenta Procli pro æternitate mundi, c. 3. Et in huius sententiæ fauorem plura congerit argumenta Toletus 8. Physic. c. 2. q. 2. qui eam etiam amplectitur.

## IV.

Contraria sententiā supponitur ab Arist. 8. Physic. (si verum est ipsum cognouisse creationem) Eam vero præcipue defendit D. Thom. 1. p. q. 46. art. 2. quem sequuntur eius discipuli, Caiet. ibi. Ferrar. 8. Physic. q. 3. Herueus tract. de æternit. mundi. quæst. 2. Et in 2. d. 1. ubi etiam Capreol. & Deza. atque etiam Aegidius. Ocham, Gabriel, Argentina, & præcipue Greg. q. 3. & Durand. q. 2. qui hoc limitat ad creationem rerum incorruptibilium. Scotus vero quæst. 3. problema esse existimat.

## Quæstionis resolutio.

## V.

Mihi opinio D. Tho. vera esse videtur quoad hanc partem. Ad rem vero declarandam & confirmandam aduerto, duobus modis posse rem aliquam vel productionem esse æternam. Vno modo ex intrinseca necessitate sua: quomodo diuini Verbi generatio æterna est. Alio modo absq. necessitate simpliciter ex libertate causæ volentis ex æternitate eam efficere.

VI.  
Creatio nō  
necessario  
æterna.

Dico ergo primò: Repugnat creationi, quod sit ab intrinseco æterna. Vnde dici potest nouitas essendi, esse de ratione creationis, vel actus, vel saltē aptitudinis. Hæc assertio in primis sequitur ex fide, tum quia de fide est nullam creationem actus fuisse æternam: ergo multò magis, nullam ex necessitate esse æternam: tum etiam, quia de fide est Deum nihil extra se agere ex necessitate naturæ. Vnde concluditur ratio, quia omnis creatura (sub qua etiam ipsa creatio comprehendi potest, ut suprà vidimus) non habet ex se esse, & consequenter nec necessitatem essendi: ergo nec creatio ex se potest habere hanc necessitatem, sed neq. ab extrinseca causā illam habet: ergo non potest esse æterna in prædicto sensu. Atque hinc sequitur posterior conclusionis pars nimirum de ratione creationis esse nouitatem essendi saltē aptitudinis. Quia illi ex ratione sua nō repugnat hæc nouitas: neq. etiam repugnat ex parte Dei, quia, ut infra ostendemus, nihil extra se agit Deus ex necessitate naturæ: ergo.

VII.  
Nulla ratio  
naturalis  
probat mū-  
dum esse  
ab æterno.

Atq. ex hac conclusione obiter constat, non posse ratione naturali demonstrari mundum esse ab æterno: suppono enim ratione naturali constare mūdum habuisse esse per creationem, ut suprà probatum est. Vnde sic concluditur ratio, nam demonstratio tantum est de necessariis: sed creationem mundi semper esse non est necessarium, neque ex intrinseca necessitate eius, neq. ex extrinseca necessitate agentis: ergo nō est demonstrabile. Non immorabor autem in soluendis rationib. Aristotelis, in quo alii Scriptores satis erudire laborarunt, tum ob hoc ipsum, tum etiam, quia rationes Philosophicæ, vel nullius momenti sunt, vel eo potissimum tendunt, ut probent mundum non incepisse per naturalem generationē: quod verissimum est, quicquid sit de rationum efficacia. Ratio autē Metaphysica, seu Theologica, quæ potest esse alicuius difficultatis vel momenti, statim attingetur.

VIII.  
Dubium  
dissoluitur.

Dubitare enim potest aliquis circa probationem huius assertionis, nam videmur fundare rem certā in principio incerto & opinabili, nimirū quod crea-

tio sit aliquid creatum, & extra Deum: quod incertum est, ut patet ex sectione præcedente. Respondetur, ad rationem factam satis esse, quod creatio passiva, seu fieri creaturæ (sive re, sive ratione tantum a creatura distinguatur) sit extra Deum, & consequenter extra omnem necessitatem essendi. Dices: Ergo si supponamus creationem actiuam esse in Deo, & nō in creatura, illa habebit necessitatem essendi, eritque ab intrinseco æterna: ergo ex necessitate inferret creationem passiuam æternam. Respondetur communiter distinguendo antecedens, scilicet, quod erit æterna illa actio quantum ad rem, quam ponit in Deo, non vero quantum ad relationem rationis quam connotat ad creaturam: hæc enim non intelligitur esse donec creatura existat. Quod si initer, quia illa actio non est actio secundum id, quod ratio rationis illi adiungit, id enim nihil est, sed secundum id, quod est entitatis & realitatis in ipsa. Respondendum est, in actione illa duo posse considerari. Vnum est esse illius: aliud est actualis efficacia eius, seu quod passionem inferat actualiter: quoad primum æterna est, quoad secundum vero minime, quia illa actio tantum est nobilitatis & perfectionis, ut non inferat seu ponat terminum suum, nisi quando vult operans. Et quia actio ut actio non tantum dicit entitatem illius actionis secundum se, sed connotat etiam actuale coniunctionem, seu emanationem passiuam termini, ideo simpliciter illa actio non est ex necessitate æterna, sed potest esse temporalis.

Atque hæc quidem doctrina vera est, si quis tamen illam attentè consideret, intelliget, illud quidquid est per modum actus, quod intelligitur æternum in Deo, non esse veram actionem, prout actio significat actualem viam & fluxum manentem ab agente, & tendentem in terminum, nam huiusmodi actio non est re separabilis a termino, cum consistat in actuali fluxu eius. Ergo quicquid intelligitur æternum in Deo, est per modum actus, qui sit principium agendi, sive sit principium tanquam ipsa potentia vel forma, a qua in tempore manat actio, sive sit per modum actus immanentis applicantis potentiam exequentem, ut tali tempore actionem inferat. Quomodo est ab æterno in Deo actus voluntatis, quo vult creare, non tamen pro ipsa æternitate, sed pro tempore vel momento, quod ipse definire voluit.

Ex quo facile soluitur argumentum, quod maxime potuit Philosophos mouere, nam si creatio est in tempore, oportuisset Deum mutari, saltē ratione voluntatis creandi, nam si in tempore creat, in tempore vult creare: ergo mutatur. Distinguendum est enim primum consequens, in tempore vult ex parte actus, vel ex parte obiecti. primum est verum, secundum falsum, id est, si sit sensus, in tempore incipit habere actum, quo vult creare, vel liberam eius determinationem, sic negatur consequentia, nam per actum æternum velle potuit ex æternitate creationis, quam facit in tempore: si vero sit sensus, in tempore vult creare obiectiue, id est, quod creare in tempore fuit obiectum diuinæ voluntatis, sic est verum consequens. Ad quod explicandum dici communiter solet, verius ac proprius dici voluisse Deum in tempore creare, quam quod in tempore voluerit creare: quia in priori locutione illud in tempore coniungitur cum verbo creare: in posteriori autem videtur coniungi cum ipso velle. ex hoc autem vero sensu non sequitur vlla mutatio, cum voluntas illius temporalis obiecti sit æterna. Quid autem sit illa voluntas æterna, quid ve illi addat in ipsa æternitate libera determinatio ad temporale obiectum, dicendum est infra tractando de attributis Dei: nam ad præsens non refert, eadem enim est difficultas, etiam si intelligamus illam liberam determinationē Dei, esse ad creationem æternam.

Dico



Dico secundò: Non est de ratione creationis nouitas essendi actualis, seu quod: on fiat ex æternitate. Probat, quia neque in definitione creationis recte intellecta hoc includitur, neque ex aliquo alio capite id est necessarium, aut oppositum repugnat. Prior pars probatur, nam cum creatio dicitur esse productio ex nihilo, illud ex non significat successione vnius post aliud, vt cum dicimus vespertinum tempus fieri ex matutino: nam præterquam, quod illa locutio est valde impropria & inepta ad definitionem, denotat etiam ordinem per accidens, nisi in successione quatenus successiua sunt: creatio autem non est ex se successiua emanatio, sed momenanea, seu tota simul. Illud ergo ex nihilo, vel negatiue sumptum significat carentiam causæ materialis, & ex hac parte nulla est necessitas nouitatis essendi, quia creatio etiam si esset æterna, potuit esse independens à materiali causa. Vel denotat habitudinem ad terminum à quo, qui debet esse simpliciter non ens, & sic denotat tantum ordinem naturæ, non durationis, vt etiam Auerroes notauit 6. suæ Metaphysicæ capite. 2. Hic autem natura ordo in hoc tantum consistit, quod creatura de se nullum omnino esse habet, nisi ab alio communicetur per creationem, & ita ex se est nihil negatiue id est, non habet ex se esse. Atque hac ratione etiam si ab æterno crearetur, ex nihilo crearetur, quia ex non habente esse ex se, fit habens esse ab alio, ita vt ipsummet esse (quod si non fie: et, nihil esset) per creationem fiat. Et tunc licet in nulla duratione reali verum sit dicere creatura non est, aut nihil est, nihilominus verum est dicere, prius natura esse nihil quam aliquid, quia illud prius natura non excludit ita esse in aliqua duratione reali, sed explicandum est negatiue, scilicet, quod sine causalitate, quæ est per creationem res nihil esset. Quod recte notauit Scotus in 2. distinct. 1. quæstio. 2. distinguens duplicem prioritatem naturæ, positiuam scilicet & priuatiuam. Sicut in eodem instanti, in quo forma ingreditur materiam, dicitur expelli priuatio, quæ dicitur in materia esse prius natura, quam introducat formam, non formaliter seu positiuè, sed causaliter seu negatiue, quia nisi introduceretur forma, ibi esset priuatio: sic ergo in præsentī intelligendum est.

Posterior pars probatur, quia ex nullo alio capite potest ostendi repugnantia, quod facillimè constabit soluendo difficultates in principio positas. Nunc autem declaratur breuiter, quia id non repugnat ex parte Dei, vt constat, cum sit omnipotens, nec repugnat ex parte ipsius esse creati vt sic, quia licet ab æterno fiat, erit vere creatum & pendens: non est enim de ratione talis esse creati, quod à parte ante aliquando non fuerit, sicut non est de ratione eius, quod à parte post aliquando futurum non sit: solum ergo est de eius ratione, vt non sit à se, & quod non habeat absolutam necessitatem essendi: vtumq; autem habet etiam si ex æternitate fieret, quia & ab alio effectiue manaret, & ex libera eius determinatione penderet. Neque etiam æternitas effectus repugnat libertati causæ: quia sicut determinatio diuinæ voluntatis æterna est, & nihilominus est libera, quia prius ratione quam illa voluntas intelligatur determinata in sua æternitate, intelligitur indifferens ad hoc vel illud obiectum extra se volendum: ita licet ab æterno, & pro ipsa æternitate crearet, esset indifferens prius secundum rationem ad creandum, vel non creandum. Rursus neque ex modo, quo fit creatio, repugnat eam esse æternam, quia non fit successiue, sed tota simul, & indiuisibiliter, & ideo quamuis æternitas ipsa intelligatur indiuisibilis, potest illi coexistere creatio.

Dicunt aliqui, quamuis creatio vt sic tota simul fiat, tamen conseruationem fieri successiue: creatio autem æterna, necessario habet adiunctam conseruationem & infinitam durationem successiuam: cū

ergo repugnet successione esse æternam, vt supponimus, repugnabit etiam creationem esse æternam salutem ob adiunctam conseruationem. Quæ obiectio haberet quidem locum in opinione Bonauenturæ & aliorum, qui putant in esse rerum incorruptibilem, aut earum duratione seu æuo esse realem successione: illa tamen sententia falsa est, vt infra ostendemus, disputando de durationibus. Quocirca falsum etiam est, in conseruatione perpetua harum rerum, esse necessariam aliquam realem successione, nam in eodem esse permanente, & in eadem duratione indiuisibili conseruantur, & eadem indiuisibili actione, vt disput. sequenti dicam. Solum nostro concipiendi modo illa conseruatio, vel duratio apprehenditur per modum successione: quia non possumus aliter mensurare aut concipere illam durationem, nisi quasi per coexistentiam ad infinitam successione imaginariam.

Atq; ita facillè etiam intelligitur, ex æterna creatione non sequi ullam realem infinitatem in re creata: nam licet duratio æterna dicatur infinita quatenus caret principio: ita tamen solum est vel quædam extrinseca denominatio coexistentiæ ad æternitatem Dei, quatenus principio caret, vel (quod verius videtur) negatio quædam initii in existendo: in re tamen nulla perfectio infinita adiungitur creaturæ, sed eadē semper existens, Sicut Angelum coexistere vel durare mille annis, celestis motus non est in illo maior perfectio physica, quam existere vno momento, sed est eadem secundum se totam sine intermissione durans: ergo ex nullo capite repugnat creationi esse æternam.

Et hinc vterius colligo, non esse necessariam limitationem quam adiungit Durandus de rebus incorruptibilibus, nam etiam creatio rerum permanentium corruptibilium, si tota simul absque successione fiat, vt ex se postulat rerum permanentium conditio, non requirit extrinsecam rationem sua nouitate essendi, neque habet vnde intrinsecè illi repugnet æternitas essendi: nam totus discursus factus eodem modo potest ad huiusmodi res applicari. Sed inquit Durandus rei corruptibili repugnare infinitam durationem etiam in sensu declarato: quia non potest res corruptibilis infinito tempore durare: res autem ab æterno facta, necesse est, vt in infinito tempore duret. Responso communis est, argumentum probare rem corruptibilem, non posse ab æterno creari, & naturæ suæ relinqui: quia hinc sequitur illa contradictio, scilicet, quod duret res, & non duret tempore infinito: non tamen probare absolute repugnare huiusmodi res creari ab æterno, quia potuit Deus non illas relinquere suæ naturæ, sed infinito tempore eas conseruare.

Aliter vero respondendum censeo, res corruptibiles etiam posse infinito tempore durare suæ naturæ relictas, si ab sit contrarium agēs, vel ita sit affectu seu dispositum, vt in eas agere non possit, quia nulla res seipsam interimit, per se loquendo. Si autem res corruptibiles ab æterno crearentur, nihil possent ex æternitate pati à contrariis agētib; quia nihil possent pati, nisi per motum successiuum, quem repugnat esse ex æternitate. Dico autem à contrariis agentibus, quia agimus de actione corruptiuæ: actio enim perfectiuæ, vt illuminatio, visio, intellectio, optimè potest esse æterna quia tota simul sine resistantia fieri potest, & semel facta, potest ex se infinito tempore durare. Quomodo dixit Augustinus sexto de Trinitate, capite primo, quod splendor ignis aut Solis coæternus illi esset, si ignis, aut Sol esset æternus. At vero actio corruptiuæ, quæ fit cum resiliunt a contrariis, motum & successione requirit, & ideo esse non potest ex æternitate, vt Durandus ipse docet, & nos supponimus. Atque ita fit, vt res corruptibiles ab æterno create, & suæ naturæ relictæ, id est, nulla adhibeat speciali productione Dei præter generalem influ-

XIV.

Res ab æterno creata non infinita perfecta.

XV.

Res corruptibiles permanentes ab æterno creari possunt.

Obiectio Durandi.

Communis responsio.

XVI.

Vterius responsio.



influxum, infinito tempore possint durare ex defectu actionis contrarii agentis. Ita ut licet ignis & stupa ex æternitate creata essent propinqua, non posset ignis in æternitate agere in stupam, & per consequens, neque per infinitum tempus imaginarium. Probat, quia si ignis ageret in stupam, vel simul & indiuuibili actione illam corrumpere, & in se commutaret, vel successiue alteraret. Primum dici non potest, tum quia excedit efficacitatem ignis, tum etiam, quia repugnat positioni, nam si ignis æternus indiuuibili actione statim generaret alium ignem, tam æternus esset genitus sicut generans: ut autem generetur ex stupa, necesse est stupam aliquando existisse: erunt ergo simul in æternitate stupa, & ignis genitus ex stupa: quod planè repugnat. Secundum etiam dici non potest, quia (ut supponitur) successiua alteratio æterna esse non potest. Idque facile intelligi potest explicando argumentum factum: nam alteratio successiua est ex contrario, & per eam remouetur contrarium à dispositione præexistente in ipso: ergo si successiua alteratio est æterna, etiam passum existens cum dispositione contraria, illi alterationi est æternum: ergo in ipsa æternitate simul habuit illam dispositionem, & fuit illa priuatum per contrariam alterationem, quæ est aperta repugnancia. Et ratio à priori, est, quia res, quæ ab æterno creatur, in aliqua reali dispositione creatur, & ideo necesse est, ut in ea duret per infinitum tempus, ergo in toto illo non potest fieri alteratio contraria: necesse est ergo, ut in tempore incipiat. Et ob eandem rationem, si homo al quis ab æterno crearetur, etiam in pura natura, non posset per infinitum tempus pati aliquam alterationem ab intrinseco, quia eadem est ratio de alteratione vnius partis in aliam, vel caloris naturalis in humores aut nutrimentum, quæ est quorumcumque aliorum agentium, vel patientium, & ideo talis homo non indigeret cibis per infinitum tempus, & pro eodem non solum non moreretur, sed neque mori posset.

XVII.

Dices: Hæc omnia sunt præternaturalia reb? corruptibilibus, & agentibus ac patientibus contrariis: iam ergo non relinquuntur huiusmodi res suæ naturæ, ut supponebatur. Respondetur, his & similibus argumentis & illationibus declarari saltè à posteriori, creationem æternam non esse consentaneam naturis harum rerum, quia vnaquæque res natura sua postulat existere, atque etiam fieri in ea mensura, & in eo statu, in quo possit actiones suas exercere modo naturæ suæ accomodato. Res autem corruptibiles in æternitate factæ pro ipsa æternitate, nihil accommodatum sibi agere possent. Vnde neque etiam postea ex se possunt inchoare actionem & passionem: nam illud tempus imaginarium infinitum, pro quo necessario durarent in dispositione, in qua creatæ essent, non haberet certum terminum à parte post, sed ante quodlibet instans signatum posset finire, & ita etiam ante quodlibet instans posset actio creaturæ inchoari: ergo non possent ex se inchoare actionem determinando instans, pro quo esset inchoando, sed hoc ad Deum pertineret, quod etiam præternaturale est. Nihilominus tamen supposita creatione æterna, dicimus hæc omnia naturali necessitate sequi, & ex illa suppositione æternæ creationis dicimus, quod licet in reliquis relinquuntur huiusmodi res suis naturis, infinito tempore durabunt.

XVIII.

*In corruptibiles: substantia non omni in se con-naturaliter existet: ut ab æterno creata.*

Addo vero ulterius hanc improportionem, siue (ut sic dicam) præternaturalitatem, licet non omnino æqualem, penè eandem reperiri in creatione æterna rerum incorruptibilium, quia necessarium est rem quancunque ab æterno creatam omnino immutatam manere per infinitum tempus, tam in substantia, quam in accidentibus omnibus, cum quibus creata est, quia omnia illa sunt æterna, ideoque ex ea parte infinita in duratione, secundum totam

realitatem, vel modum realem, in quo ab æterno creata sunt: ergo necesse est, ut pro infinita duratione immutata maneat. Omnis autem creatura, quantumuis incorruptibilis, mirabilis est secundum locum, aut alias operationes, & ideo etiam illi præternaturale est in eo statu fieri, in quo non possit suos motus aut operationes naturales exercere, vel variare per infinitum tempus. Nihilominus tamen hoc non est simpliciter impossibile aut repugnans, quod nos intendimus.

## Argumentorum solutiones.

PRIMUM argumentum in principio factum, iam est sufficienter solum ex dictis: ostendimus enim non esse de ratione creationis, ut ipsam nihil antecederet reali duratione, sed solum ordine rationis & causalitatis. Neque obstat, quod Anselmus in Monolog. c. 8. etiam approbat illam expositionem, ut quod creatur, ex nihilo fieri dicatur, eo quod prius erat nihil, & per creationem fit aliquid. Nam prius ibi docet veram interpretationem superius traditam, quod scilicet per illam particulam negetur omne subiectum, & omnis materia, ex qua creatio fiat: postea vero adhibet illam aliam interpretationem, non ut necessariam, neque ut convenientem creationi ex eo præcise, quod creatio esset, sed ut declarantem creationem, prout facta est.

Ad secundum respondetur primò, nullum esse inconueniens concedere rem creati actione, qua conseruatur, ut mox dicemus. Deinde dicitur, etiam in creatione æterna posse ratione distingui creationem à conseruatione. Ut enim illa creatio dicitur esse absoluta in ipsa æternitate, ut simplex participatio esse creati, habet rationem creationis, ut verò illa concipimus quandam successiionem imaginariam, sic pro quolibet instare signato talis successiionis habet rationem conseruationis. Quod fere eodem modo apprehendimus in æterna Verbi generatione. Verum enim est in sua æternitate, est vera productio & generatio, ut verò intelligitur coexistens instantibus nostri temporis aut imaginariis, est (ut ita dicam) permanentia quædam in eadem generatione: nomen enim conseruationis, quod imperfectionem denotat, illi tribuendum non est. Vide D. Th. q. 3. de potent. art. 14 ad 10.

Ad tertium negatur antecedens, nempe æternitatem repugnare rationi creaturæ. Ad Patres autem primò dici potest loqui ex suppositione fidei, quæ docet nullam creaturam esse ab æterno creatam: ex quo recte colligunt, si Verbum æternum est, creaturam non esse. Quia verò interdum significat creaturæ repugnare coæternitatem ad Deum, intelligendum id est iuxta priorem conclusionem. Quomodo dixit Augustinus 12. de Cinit. capit. 15. licet angeli essent ab æterno creati, nihilominus non fuisse futuros coæternos creatori suo, ille enim semper fuit æternus immutabilis, isti autem facti sunt. Ad rationem respondetur, quod est ab intrinseco æternum, esse ab intrinseco immutabile: quod vero est ab extrinseco factum in æternitate, non oportet, ut ab intrinseco immutabile, sed satis esse, si pro ipsa æternitate, vel pro duratione infinita, quæ in illa cogitatur, immutatum maneat.

Vnde ad confirmationem concedo, hoc ipso, quod Deus creat aliquid ab æterno, ex necessitate debet illud conseruare infinito tempore imaginario, in sensu declarata. Neque hoc est inconueniens, quia hæc non est necessitas absoluta, sed ex suppositione, quæ proportionaliter habet locum in qualificatione actionis Dei. Nam si vult producere rem in tempore, saltem pro illo tempore necesse est, ut eam conseruet: ergo vult producere in æternitate, quid mirum, quod pro æternitate illam necessario conseruet? Hæc vero necessitas tantum est à parte antè,



quia ascendendo versus initium, nunquam reperitur terminus in illa duratione; non vero à parte post, quia in quocunque instanti signato in illa eternitate posset Deus cessare ab illius rei conseruatione, & ante quolibet signatum in quolibet etiam signabili posset cessare pro suo arbitrio. Cetera de hac materia in 8. Phisic. remittimus.

## DISPUTATIO XXI.

De prima causa efficiente, & altera eius actione quæ est conseruatio.



Explicita prima emanatione omnium rerum à prima causa, dicendum sequitur de dependentia, quasi continua; seu perpetua, quam in suo esse & operatione habent ab eadem prima causa; seu e conseruo de influxu; vel gubernatione, quam eadem prima causa habet circa suos effectus quos creauit, vt subsistere possint & operari: ad hæc enim duo capita, conseruationis, & cooperationis seu concursus, tota diuina gubernatio, quæ effectus est diuinæ prouidentie, reuocatur. In hac ergo disputatione de priori capite, in sequenti de posteriori dicemus. Circa conseruationem autem, duo præcipue videnda sunt, nimirum quæ sit necessitas eius, & quomodo à creatione seu productione distinguatur.

### SECTIO I.

An posstratione naturali demonstrari, entia creata in suo esse semper pendere ab actuali influxu prima causa.



Primum quidem videri potest non ita pendere, quia antequam res accipiat esse, mirum non est si ab alio pendeat in fieri: quia cum ex se non habeat esse, non potest illud habere donec ab alio recipiat, quod est rem fieri: at verò postquam res semel accepit esse, iam non est cur ab actuali influxu alterius continuo pendeat, quia hic actualis influxus est quasi continua quædam, seu potius repetita collatio ipsius esse. hæc autem non solum non videtur necessaria, verum etiam superflua: nam quolibet res retinebit esse semel sibi datum, etiam si amplius non detur, dummodo non auferatur. Nulla enim res se ipsam priuat suo esse: ergo si semel detur, illud, quantum est ex se, perpetuo retinebit, etiam si amplius actualiter non conseruatur, dummodo posstratione seu per aliquam actionem contrariam non auferatur. Et confirmatur hoc maxime in entibus incorruptibilibus, quæ sunt entia necessaria & de se, eisque per se conuenit esse: ergo non indigent actuali conseruatione vt sint, quia licet conseruatio cesseret, nulla causa saltem extra Deum potest exercere actionem circa illa, qua ipsa priuet suo esse; neque ipsa priuabunt, cum hoc propria naturæ repugnet. Atque eadem ratio procedit de entibus corruptibilibus, saltem quando à contrariis agentibus non corrumpuntur.

Secundo videri saltem potest, non posse aliud probari ratione naturali, quia nec ex potentia Dei, neque ex indigentia creaturæ id satis ostendi potest. Prior pars probatur, nam potius videtur pertinere ad potentiam Dei vt possit tales effectus facere, quia postquam facti sunt, in suo esse permanere, etiam si agentis operatio cesseret: sicut spectat ad industriam & potentiam humani artificis vt tam firmum faciat ædificium, quod perpetuo permanere possit post finitam actionem artificis: non ergo repugnat hoc o-

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

mnipotentie Dei neque ex illa potest oppositum colligi. Altera pars vero probata est ex priori argumento: indigentia enim creaturæ in hoc solum videtur consistere vt non possit habere esse nisi ab alio datum: non vero in hoc, vt non possit retinere illud, nisi continuo detur. Et confirmatur, nam si quæ esset vniuersalis imperfectio creaturæ, ob quam indigeret hac conseruatione, maxime quia non participat esse à Deo cum æqualitate, vel cum eadem perfectione, qua est in Deo: at hæc ratio nullius momenti est, tum quia etiam si esse creaturæ hoc modo esset independentens, non propterea esset æquale, nam adhuc esset aliis infinitis titulis inferius: tum etiam quia neque è contrario sequitur, si esse effectus perfectione sit inferius esse causæ, debere etiam esse actu pendens: nam in causis secundis oppositum accidere videmus: aurum enim fit à sole cum quodam esse minus perfecto, in quo tamen non pendet in conseruari ab ipso sole. Et calor conseruatur cessante actione ignis, etiam si non perueniat ad perfectionem caloris ignis. Et domus ad extra est longe diuersa & inferioris rationis ab idea domus, quam artifex habet; & nihilominus permanet cessante influxu artificis: cur ergo non poterit idem dici de effectibus primæ causæ? aut quæ singularis ratio in illis poterit assignari?

De hac quæstione inter Theologos nulla est de hac re opinionum varietas. Quamuis qui negant Deum immediate operari in qualibet actione creaturæ, cogentur sine dubio negare rem omnem creatam, seu omne ens per participationem, pendere immediate ab actuali influxu Dei, quia quod non pendet in fieri, neque in esse pendeat. Sed de falso illius opinionis fundamento, disputat sequenti dicendum est. Nunc ergo licet potissimum agamus de effectibus qui à Deo immediate creantur & fiunt; tamen vt vniuersalis sit disputatio, quoniam est omnium ratio eadem, supponimus omnia à Deo immediate fieri, etiam si non semper ab illo solo fiant. Rursus qui negant creationem rerum posse probari ratione naturali, multo magis negabunt posse probari necessitatem conseruationis. Seg illud fundamentum iam est à nobis improbatum. Tamen adhuc supposita demonstratione necessitatis creationis, non est facilis ad probandum necessitas conseruationis.

### Resolutio quæstionis.

Dicendum tamen est, omnia entia extra Deum pendere in suo esse ex diuina conseruatione. Hæc assertio sub his terminis certissima est, & de fide, Traditurque frequenter ab Ecclesiæ Patribus, præsertim ab Augustino libr. 4. Genes. ad liter. capit. 12. vbi tractans illa verba Genes. 2. Et requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat, ait, intelligenda esse de requie à nouis operibus ex nihilo condendis, non vero à conditis gubernandis & conseruandis. Alioquin (inquit) continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creature. Quæ virtus ab eis, quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura consideret. Neque enim, sicut structuram adium cum fabricauerit quis, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus eius; ita vel in actu oculi mundus stare poterit, si Deus ei regimen sui subtraxerit. Quod tamen ratione non probat, sed scripturæ testimoniis confirmat, Actor. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus, Sapient. 7. Omnis mobilis mobilior est sapientia: attingit autem vbique. Et cap. 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Ioan. 5. Pater meus vsque modo operatur. Quæ verba exponens idem August. lib. 5. Genes. cap. 20. Sic (inquit) credamus, vel si possumus, etiam intelligamus, vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio e-

T

ius